
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA
De
DIVORTIO CONJUGUM PROPTER DELICTUM,
Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, ET DUCATUS MAGDEB.
GUBERNATORE &c. &c.
AUCTORITATE atque CONSENSU INCLYTÆ FACULTATIS JURIDICÆ
PRÆSIDE
PRORECTORE MAGNIFICO
DN. HENRICO BODINO, JCto
POTENTISS. REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO,
IN DUCATU MAGDEBURGENSI GRAVISSIMO, PROFESSORE JURIS ORDIN. CELEB. ET FACULT. JURID.
h. t. DECANO,
PATRONO SUO COLENDO
PRO LICENTIA
Summos in JURE HONORES & Privilegia consequendi,
d. Octobr. Ao. MDCCIX. horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAJORI,
Publico eruditorum examini submisit
AUCTOR
DAVID MEISE, Egla-Magdeburg.




RECUSA, HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typogr. 1720.



I. N. J.

Thes. I.



DE dissolutione vinculi conjugalis dissertaturus haud abs re censeo, de nexu ipso inter conjuges, qua ratione inducatur? qualemve obligationem involvat? nonnulla præmittere. Propagationem generis humani homini ex sanctissima Dei voluntate incumbere & ipse naturæ ordo, quo differentiam sexus ad propagandum genus humanum introductam conspicimus, & mandatum DEI expressum multiplicationem inculcans, satis edocent. Non tamen promiscuum concubitum ordini huic convenire, sed hunc ex carnis libidine DEO abominabili orientem, naturæ humanæ inconvenientem esse, pariter ipse Deus, instituendo societatem conjugalem, illamque suis legibus tanquam certis limitibus circumscribens, abundanter contestatus est, ita, ut omnem extra conjugale vinculum quæsitam corporum conjunctionem prohibitam & naturaliter turpem esse, con-

Omnem coitum extra conjugium esse contra jus Naturæ.

travulgarem H. Grotii & Puffendorffii illorumque asseclarum hypothesin, verissimum, ac secundum divinum jus scriptum extra dubium sit; Ut sic exinde quilibet ad scopum naturæ sollicitus nonnisi cum illa, quam animo conjugali, ad procreationem sobolis assumsit, propriamque elegit, recte coire possit, in tantum, ut quamvis ex originali labe plerisque corporis defectu carentibus libido carnis cohæreat, huic compescendo tamen non aliud medium quam propriæ uxoris usus competat, quo pertinet illud effatum Apostoli. *1. Cor. 7. v. 2.* quod quivis libidinoso instinctu præditus propriam uxorem habere debeat, ex quo jam sequitur: quod essentialis conjugii conceptus in proprietate mulieris ad propagandum ex illa genus humanum viro acquisita consistat.

formalis conceptus uxoris.

Th. II.

quomodo matrimonium ineatur.

Cum autem talis proprietas ex nuda promissione non oriatur, sed præter illam plena realis translatio & actualis attributio requiratur, vi cujus fœmina marito acquiratur, & ita sub oculos & custodiam hujus ad propagationem generis sui constituatur, ut omnibus innotescat, hanc esse hujus viri uxorem, vid. Hugo Grotius *de I. B. & P. L. 2. C. 5. n. 8.* Hinc matrimonium nec nudo consensu de tali ineundo, nec actu concubitus perficitur, dum prior tantum sponsalia efficit *L. 4. pr ff. de sponsalibus* posterior vero formam matrimonii neutiquam absolvit, ceu quæ in eo posita, ut quis mulierem in absolutam proprietatem corporis accipiat; Quæ acceptio conjugalis, per consensum in præsentem traditionem seu eo tendentes ritus inducitur, ut ita statim conjuges fiant, & indissolubile vinculum inter ipsos constitu-

stituatur ac fœmina mari corporis sui jus det, & hujus vicissim naturalem ad fœcunditatem tendentem usum a mariti corpore accipiat. Confer. Illustr. Dn. Stryck *Disput. de Dissensu utriusque desponf.* §. 26 ex quibus jam facili negotio fluit, qua ratione Ulpianus *L. 30. ff. de R. I.* dixerit, nuptias non concubitu, sed consensu fieri, si ejusdem Ulpiani locus in *L. 15. ff. de condit. & demonstrat.* conferatur, utpote quo loco conditio illa: si nupsisset, statim atque ducta est uxor, impleta dicitur, quamvis non in cubiculum mariti venerit, & pro ratione regulam subjicit: Nuptias non concubitum sed consensum facere, scil. non simplicem, sed cum ipsa ductione conjunctum, quæ hoc casu loco traditionis est.

quo sensu dicatur consensu facit nuptias.

Th. III.

Constituto tali modo conjugio, variæ quoque personis conjugatis pro indole societatis hujus connubialis, hinc inde nascantur obligationes necesse est; Prævia autem naturali utriusque sexus habilitate, maxime congruit, & natura talis societatis postulat, ut non solum viri conditio sit potior, & maritus familiæ a se ita constituendæ caput existat, sed etiam ut uxor directioni mariti sit obnoxia, & maritus plenissimam potestatem in uxorem habeat. Quæ potestas non solum ad actus uti loquuntur conjugales, & ad finem matrimonii directo spectantes restringenda, sed ut vera proprietas & sic aliquale dominium in uxorem, tam ratione corporis, quam quoad bona in hanc societatem collata, competat, ipsa essentia conjugii inducit & naturalis ratio suadet, adeo, ut uxor haud assentiente marito se suave bona alteri valide obligare non possit. Nec minus expressa legis divinæ constitutione marito Dominicam

inter maritum & uxorem est societas inæqualis.

potestatem in uxorem collatam sacer Codex *Genes. 3. v.16. Epist. Pauli ad Ephes. 5. v. 22.* & passim testis est: Gentium quoque moratiorum moribus maritum pro domino uxoris semper habitum esse Gudelin. *de Jure noviss. libr. I. cap.7.* asserit. Et jure civili non saltem maritos uxorum suarum Dominos appellari *l.38. pr.ff. de donat. inter vir. & uxor. l.88. § 2. ff. de legat.2. l.12. §.1. Cod. qui pot. in pignor.* verum etiam ex subjectione uxoris *l. 1. ff. rer. amot.* ejusque obsequio & reverentia marito debita *l.14. §.1. sol. matrim. l. 48. pr. de oper. libert.* item quod absolute maritum sequi teneatur vid. Struv. *Synt. jur Civ. Ex. 29. th. pen. in f.* praeminentia & potestas maritalis sat comprobata reperitur, cum econtra uxori tale quippiam in maritum neutiquam competat: Hinc igitur satis conspicuum est, ex inita societate conjugali imparem planè profluere obligationem, atque alteri concesso in omnibus imperio, alteri saltem parendi gloriam relictam esse, non immeritò dici possit.

Th. IV.

In aliquibus tamen obligatio inter conjuges invicem est mutua & æqualis.

Quanquam tamen agnoscam, superesse nihilominus obligationes ac officia quæ ex fœdere conjugali conjuges utrinque æque afficiunt, veluti apparet in sincero amore utrinque præstando, in corporum communicatione, in mutuo adjutorio; Præprimis vero in indissolubili conjugii nexu, ad quod indissolubile vinculum utrumque conjugum adstringi, non minus ex conjungendorum intentione & proposito, quam ex speciali legis divinæ mandato, & veteris Testamenti *Genes. 2, v. 24.* & novi fœderis *Matth. 19, 9.* nec minus primævâ conjugii institutione indubitatum est. Præprimis dum uxor marito arctissimo quodam quasi proprii

prii corporis vinculo se communicet, ut hic talem semel in usum receptam in integrum restituere haud possit, nec illam invitam repudiare, imo ex lege Divina nequidem consentientem, prorsus dimittere, & omne vinculum, quod inter ipsos legitimè introductum, rursus tollere queat, addita ratione: quod talis dimittens uxorem illam adulterium committere faciat, *Matth. c. 5, v. 32.*

Th. V.

Matrimonium essentia sua ita indissolubile est, ut nullo pacto aliud induci possit.

Licet ergo juxta primævam conjugii legem & supremi legislatoris voluntatem matrimonia indissolubilia esse debeant, istaque lex etiam adhuc hodie omnes homines obliget, ut matrimonium contracturi illud non sub quibusvis pactis & conditionibus, sed cum intentione voto & stipulatione perpetuæ cohabitationis contrahant; Attamen jam tempore Veteris Testamenti, aucto post protoplastorum lapsum humano genere, malitia hominum ita excreverat, ut datæ semel fidei connubialis rationem non omnino haberent, unde factum, ut sicuti in cæteris, ita etiam circa matrimonii jus Moses Israëliticæ genti potius aliquid remittere, & separationem discrepantium conjugum concedere, quam inter eosdem jurgiis, rixis, insidiis, veneficiis, parricidiis, aliisque majoribus malis ac scandalis viam & occasionem aperire maluerit. vid. Stryck. *Disputat. de Desert. Conj. malit.* §. 2. ex quo originem traxerunt divortia veteris testamenti, quæ post legem divertendi à Mose præscriptam in Republ. Judaica liberrima erant, & etiam levissima de causa imo interdum plane nulla, & ex solo odio fieri poterant. *Deuter. c. 24. v. 1. & seqq.* Excell. Dn. Stryck. *in addit. in B. Brunnem. Jus Eccles. Cap. XVII.*

Quo jure divortia introducta.

XVII. §.1. modo tamen hoc observatum fuerit, ut Maritus divortii causam certo libello solenni quadam formula conscripto incluserit *dict. c. 24.* neque enim solis verbis uxorem dimittere licebat, sed scripto solenni libello repudii, procul dubio potissimum ob hanc caussam, ne prætexere posset adulterans mulier, se nullis quidem præsentibus testibus, verbis tamen, â marito dimissam & expulsam fuisse; In hac vero divortii materia iterum sese exserit Maritalis potestas, quippe quod divortii faciendi facultas, solis maritis concessa legatur, nec unquam causarum ex quibus uxores viros dimittere possint mentio fiat; Vir vero tanquam familiæ Princeps & Caput Jure Ebræorum in plena potestate sua uxorem habebat, cui ipse non subjectus renunciare poterat, quam differentiam in divortendo Brouer *de Jure Connub. Cap. 30. n. 1.* rectè notat.

Th. VI.

Hæc ita tempore veteris Testamenti obtinebant. Postea vero in novo fœdere Salvator pristinam illam in divortendo ab Ebræis usurpatam temeritatem frivolamque uxorum dimissionem sustulit *Matth 5, v. 31. & c. 19, v. 8.* Non tamen Christus hoc ipso Mosi contrarius est, sed Pharisæis melior divinæ legis interpres tantum docet: Mosem non præcepisse, sed permisisse Viris, libellos divortii uxoribus dare, ob utriusque cordis duritiem hujus refractarii populi, & ne duriori tractationi & veneficiis daretur occasio. Moses enim permittendo divortium, illud non laudaverat ut æquum, non mandaverat ut justum, sed tantum toleraverat ut præcaveret pejoribus malis, dum enim Pharisæi hanc à Mose concessam divortiorum licentiam vel mandatam

à Deo

à Deo, vel ad minimum non displicuisse Deo ex eo colligerent, & Christo objicerent, hic illos errare ostendit, & docet, ab initio Deum creasse masculum & fœminam eosque matrimonio conjunxisse, ut nunquam propria voluntate iterum separentur, quos Deus & natura ita semel conjunxerat. Nec tamen Christus omne divortium vetat, sed illud tantum, quod absque legitima causa fieri consueverat, siquidem ipse causam talem uxoris dimittendæ admittit, per quam hæc inhabilis reddita ad finem conjugii, per illam a marito obtinendam, siquidem enim hæc carnem suam mariti propriam huic subtraxerit, ac alii usum ejus concesserit, ac sic essentiale matrimonii fœdus ipsa fregerit, ipso jure ab eadem virum liberari, ut propria auctoritate illam dimittere possit, ex eodem salvatoris effato, satis clarum videtur.

justa causa uxorem repudiandi.

Th. VII.

Commemorata tamen Christi declaratio tantum de plenaria matrimonii dissolutione vel dimissione uxoris in pristinam libertatem loquens, spontaneam utriusque partis secessionem non comprehendere nemo facile negabit, ceu quam ad casus divortii admittendi adstringendam non puto, sed cum individuam vitæ consuetudinem non dissolvat, sed tantum ad tempus & quamdiu utrique paciscentium ita placuerit, intermittat, justas ob causas fieri posse existimo, & hæc divortii species, quatenus privata conjugum voluntate secessiones, sive, seorsum habitationes instituuntur, quamvis Romanis incognita non fuerit, sed licitam potius fuisse, ut uxor & maritus seorsum habitent, atque nihilominus invicem honorem matrimonii haberent ex *L. 32. §. 13. ff.*

Temporalis separatio ex utriusque consensu quidem fieri potest, sed contra invitum talis pactio non habet effectum.

13. ff. de donat. inter vir. & uxor. constet, & quidem non tantum idcirco, ut talis separata habitatio media quasi via a conjugibus eligeretur, cum ex una parte morosæ mulieris, vel duri mariti mores non paterentur vitæ consortium, ex altera parte vero communium liberorum amor & ipsorum conjugum pudor, honor, dignitasve non suaserit totale divortium, qualem temporalem separationem fribusculum appellabant *d. l. §. 12.* sed etiam si forte bona gratia pro meliori officii expeditione aut commodiori vita talem secessionem elegerint. *vid. §. 10. in fine ibid.* Illas tamen conjugum ad thorum & mensam usque sejunctiones, quæ invita altera parte judicis interveniente auctoritate fiant, nullo Divino vel civili juri convenire, nisi quatenus uxori tantum potestas extra custodiam mariti pernoctandi conceditur, donec de imputata hujus sævitia plenius constet, defendam.

Divortium quoad Thorum & mensam tantum est Papale figmentum.

Th. VIII.

Quocirca originem talis separationis quoad thorum & mensam in Consistoriis nostris haud infrequentis erroneo cuidam Pontificio juri deberi, certum est. Nam cum hoc jure matrimonium propter nullam omnino causam nequidem ob adulterium vere probatum vel ex malitiosa desertione, post judicialem contumaciam legitime præsumtum, quoad vinculum dirimi possit, propter efficaciam imputati Sacramenti, sæpius quoque accidat, ut conjugum unus fidei conjugali non ex debito satisfaciat, vel etiam ex aliis causis inimicitiæ capitales inter conjuges oriantur, ob quas simul vivere nec possent nec vellent, huic novum aliquod divortii genus ante hac incognitum & in compertum, quoad

tho-

thorum scil. & mensam, manente adhuc vinculo, excogitatum fuit, quo scil. conjugibus ejusmodi saltem in tantum si non intotum subveniretur.

Th. IX.

Licet autem in iis, ubi plenarium divortium locum habere potest, negotiis, Pontificium hoc inventum nostrates non agnoscant, sed potius jus divinum sequantur, attamen in aliis quibuscunque discordiarum vel jurgiorum causis, ad instantiam mulierum irreconciliabilium, sine sufficienti fundamento admittunt, aufer enim marito, ad usum thori & adjutorii, uxorem; quid quæso de proprietate ac dominio in uxorem ipsi reliquum manet? Sane nihil nisi chimera: Neque hoc per sævitiam maritorum excusari potest, si enim hæc legitime probata, & ad internecionem periculosa inventa fuerit, ultore ferro aliisve durioribus pœnis coercenda, vel si in jurgiis aut levioribus plagis consistat, aliis modis cohibenda, & uxoribus erga morosos quoque maritos debitum obsequium injungendum: nisi forte ob insignem dissidii causam auctoritate judicis uxori concedatur ad tempus & sub spe reconciliationis seorsim a marito habitare, manente tamen etiam interim jure mariti in corpus & personam uxoris, ut de hujus convenienti secura commoratione disponat, ejusque corpore ad conjugii finem uti possit. Sin secus fiat, offenditur illud: quos Deus conjunxit homo non separet.

Th. X.

Cum vero & ante nos, saniores tam ICti quam Theologi prætensam illam separationem quoad thorum & mensam, ob pravos mariti mores non facile concedendam esse agnoscant. vid. Brouer. *d. Iur. Connub.*

nub. lib. 2. c. 20. n. 10. in caufis tamen fævitiarum fœmellis nimis indulgeant, ideo hac occafione de jure coercendi uxorem paucula inferere liceat. Non quidem quid ei, qui viri prudentis nomen ambit, conveniat, proponendo, fed quid tanquam extrinfecus injuftum, certis coercitionibus inhibere poffit, examinando; Cum ergo fupra evictum fit, maritum habere poteftatem in perfonam uxoris, fub hac poteftate non invidendum erit marito, injuriam ab uxore fibi imminentem vel illatam verberibus etiam repellere, ne vecordiæ fufpicionem incurrat, jureque mariti fe indignum reddat. Carpz. *lib. 2. tit. 12. def. 212. Iurisprud. Ecclefiaft.* & moderata caftigatio non excedens modum domefticæ punitionis laudanda, morum correctio & correctionis medicina eft. *L. un. C. de emendat. liber. hom.* non ergo quævis plagæ, quibus maritus uxorem refractariam in ordinem redigit, eique obedientiam jure naturali & Divino ipfi debitam fed per contemtum negatam inculcat, pro fævitia habenda funt. Menoch. *de arbitr. Iud. quæft. Lib. 2. Cap. 364. n. 8.* ac proinde tali ex caufa neque feparationem quoad Thorum & menfam concedi, neque aliam actionem erga maritum uxori competere, confequitur.

Marito non abfolute denegandum jus, verberibus emendandi uxorem.

Th. XI.

Marito jus dimittendi uxorem adulteram competit.

Ut vero revertamur, unde digreffi fumus; Actum fuit fupra de lege divortii novi Teftamenti, qua Chriftus temerarias Hebræorum uxorum dimiffiones interdixit; Ipfe vero caufam fornicationis à tali prohibitione fejunxit, atque propter hanc diffolutionem uxoris permifit. Hinc ergo propter adulterium uxoris ad inftantiam mariti innocentis, qui fidem conjugalem

lem violatam condonare & uxori pristinæ ulterius cohabitare nolit, divortium etiam quoad vinculum fieri, & isti permitti posse, ut ad alia vota transeat, apud Protestantes & Reformatos hodie nullum dubium habet. Cum vero facultatem divortendi ex adulterio conjugibus indefinite sive uxori sive marito competere quam plurimi adscribant, his assentiri neutiquam possum; Nam si verbis Christi inhæream, hic perinde ut Moses tantum de marito, quod ille ob causam adulterii uxorem dimittere possit, non item de uxore, quod illa par jus habeat in maritum, utpote caput & dominum suum, cui illa obedientiam debet, uti loquitur Seldenus *de J. N. & Gent. juxta disc. Ebræorum*, & quod *Marc. 10, v. 12.* Christus dicit: Et si mulier dimiserit virum suum & nupserit alteri, mœchatur, id respectu mulieris priori viro obstrictæ intelligendum est. *vid. 1. Cor. 7, v. 10. & 15.* si quoque mentem Christi *Matth. 19, v. 9.* investigamus, apparet, Christum non novam legem de divortiis tulisse, sed libertatem divortiorum in veteri Testamento permissam restrinxisse. uti in præcedentibus verbis de licentia divortendi inter Judæos permissa quærebatur, inde nunc constat, de illis tantum divortiis quæ jure Hebræorum tolerabantur, loqui Salvatorem, apud Hebræos autem soli marito permittebatur divortium, non uxori, Seldenus *de Jur. N. & G juxta disciplin. Hebræor. l. 5. C. 7.* Hinc & verba de marito concepit non de uxore: Quod ergo jus uxores neque in veteri Testamento habuerunt neque in novo Testamento ipsis expresse concessum, hoc sane iis jure meritoque denegatur: quid quod nec naturalis ratio, nec ullius gentis mores uxori jus repudiandi virum concedant. Tandem

Uxori ex nulla causa competit jus maritum repudiare.

dem quoque quam maximè dispar inter maritum & uxorem subest ratio; hæc enim per adulterium se ad proprium & mariti Thorum inhabilem reddit, & alienum partum marito substituit, in quo conceptus nefarius adulterii consistit, quod tamen in marito secus esse quilibet videt, Bruckner. *in decis. Matrim. p. 2. cap. 17. n. 21.* Brower. *de Jur. Connub. L. 2. C. 30. § 1. seqq.*

Th. XII.

Et quando in Codice Sacro mentio fit coitus alicujus mariti cum persona soluta, sive virgo sive vidua fuerit, illud nuspiam adulterium denominatur, sed quando in illo de adulterio commisso agitur, semper adjicitur, ut facta fuerit pollutio alterius uxoris. *Vid. Levit. 20. v. 10. Deuteron. 22. v. 22. Hesek. 18. v. 6.* quanquam, non abnuam quod etiam alio adhuc modo maritus, si nimirum uxorem suam dimiserit & malitiose aliam duxerit, lege novi fœderis adulterii reus fiat; Ex quibus jam infero duplici ex causa, altera vulgari, altera vero singulari intuitu scilicet propriæ uxoris maritum adulterium committere; Priori, quando cum persona nupta concumbit, posteriori vero si ex causa illegitima propriam uxorem dimittit & ducit aliam, id quod ipse Christus innuit, dum *Matth. 19, v. 9.* ait: Ego dico vobis, qui uxorem suam dimittit (nisi propter fornicationem) & aliam ducit, adulterat, & qui dimissam ducit, etiam adulterat; Quo ipso Christi dicto utraque adulterii species continetur, priori positione scilicet illa quæ consistit in ruptione fœderis conjugalis loco dimissæ aliam ducendo, posteriori hæc, quæ cum persona nupta perpetratur, siquidem ille, qui dimissam ducit, eam ob causam adulterii reus fit, quia uxore utitur non

Quomodo maritus adulterium committat.

ex

ex voluntate Dei legitime repudiata & per consequens vinculo conjugali revera adhuc ex Divina institutione ligata, Brower. *de Iur. Connub. Cap. 18. n. 3. vers.* Hinc concludo, quod dum Christus assumtionem novæ conjugis cum repudiatione aut desertione prioris conjunxit, illud propterea factum esse, quod non quavis commixtione carnis cum alia fœmina, maritus adulterium committat, tunc enim Sancti Patres Polygami usque ad extremum vitæ adulteri & nihilominus Deo grati exstitissent, quod impium dictu; sed si assumtio novæ conjugis, loco dimissæ fiat, quod certissimum præbet indicium, ruptæ à parte mariti omnis fidei conjugalis, quo ipso facto adulterium commmittit. Quo pertinet P. H. Ordn. *art. 121.*

Th. XIII.

Leges Civiles si conferantur, tum etiam has dicto juri Divino non disconvenire videmus; Nam ad ductum illarum adulterium ita delineatur, quod cum nupta fiat, in soluta vero stuprum seu fornicatio tantum committatur §. *12. I. 6. §. 1. ff. ad L. Iul. de adult. L. 101. pr. de V. S.* à quibus nec constitutiones Imperiales nec Ordinationes prouinciales recedunt; Nam constitutionem criminalem Caroli V. Art. 120. si inspicimus, dispositio Illius nec Divino nec communi civili Juri contrariatur, nec ex dicti art. §. ult. recte infertur ac si maritus etiam cum persona soluta adulterium committat, sed posterior ibidem propositus casus agit de eo ubi maritus de adulterio cum alterius uxore perpetrato accusatur, prior vero: ubi maritus suam uxorem adulterii ream facit: neque enim in posteriori specie dicitur: quod maritus cum persona soluta adulterium committat, sed id tantum in di-

digitatur, quod uxori pariter ac marito accusandi de adulterio maritum facultas competat, modo hic revera adulterium nimirum cum persona nupta commiserit; utriusq; vero pœna juris Romani determinationi relinquitur, Ordinationem Provincialem hujus Ducatus differentiam inter adulterium â marito commissum & ejus simplicem scortationem benè notare & approbare videre licet ex *Ordinat. Polit. Cap. 69. §. 6.* ubi, coniunctio cum nupta in specie adulterium, illa vero, quæ à marito cum persona soluta fit commixtio, simpliciter concubitus dicitur.

Th. XIV.

Hæc ita de marito adultero; In specie vero uxorem quod attinet, illa quouis admisso concubitu, etiam cum persona soluta, adulteram fieri, exinde, quod in nupta qualibet commixtione adulterium committatur, satis liquet. Præsertim quoque respectu sui viri per ipsius desertionem adulterium ab uxore perpetrari, Salvator noster *Marci 10, v. 12.* edocet, adeo ut nulla ratione habita, num talis dimissio mariti seu divortium prævia aliqua causa fiat, annon, pro adultera sit habenda, re planè aliter se habente in marito, qui extante justa causa divortium uxoris facere quidem potest, non vero uxor.

Uxor maritum suum repudiare nequit.

Th. XV.

Quæ de divortendi facultate marito competente supra proposui, ita accipienda sunt, ut quamvis Divina lex maritum ab uxore adultera liberet, eique concedat etiam privata autoritate uxorem adulteram dimittere, tamen ne temerario ausu aut ex vana suspicione hoc fiat, non aliter tale divortium ratum erit nisi illud

Non licitum est privata autoritate uxorem dimittere, quamvis ipso jure matrimonium dissolvatur per adulterium.

lud prævia causæ cognitione per sententiam judicis competentis confirmetur, quia sexui fœmineo parum prospectum esset, si privato quisque odio, sine judicii autoritate ædibus expellere uxorem posset Brovver. *de Iure Connub. Cap. 32. n. 5.* tametsi enim Jure Ebræorum liberis maritorum arbitriis divortia permissa fuissent, nec minus jure Romanorum, quod quidem certos ritus divortio præscripserat, judicis auctoritas neglecta fuerit; tamen in foris Christianorum, quibus nec in minimis, ubi de alterius præjudicio agitur, inaudita altera parte quicquam decernitur, quanto magis in causis tam arduis, in quibus de dissolvenda totius vitæ & in perpetuum promissa societate agitur, hoc fieri debere justitiæ ratio exigat, nemo dubitare potest, quid quod nemo in propria causa jus sibi dicere possit, quod vero maritus, si propria auctoritate uxori repudium mitteret, facere valeret. Nec etiam ex quocunque congressu uxoris cum alio, divortia fieri posse manifestum est, quum uxor exceptiones habere posset, quibus intentionem mariti elidere queat; Quid enim, si uxor ab hostibus coacta, irreprehensa voluntate vel alio modo per vim compressa fuerit? *L. 30. C. ad L. Jul. de adult.* violentia sanè non violatur pudicitia, si mente conservetur, *C. 9. Caus. 32. Qu. 3.* Quid? Si inscia cum alieno viro rem habeat, quem credebat suum esse, *L. 11. §. 12. ff. ad L Jul. de adult. L 7. C. de Repud.* Quid? si maritus ipse impudice vivat *L. 13. § 5. ff. ad L. Jul. de adult.* Quid? si cognito adulterio conjugi culpam expresse remiserit, *C. 17. Caus. 32. Qu. 7.* aut post compertum adulterium cum uxore adultera se commiscuerit. His sanè aliisque forsan obvenientibus casibus, ob adulterium uxoris, licet verè

Uxorem privata auctoritate repudiare non licet.

C per-

perpetratum, divortium non locum habere, statuendum esset. Ac proinde talibus exceptionibus uxorem se defendere, nullatenus ipsi denegandum. Nihilominus tamen verum manet, quod ipso facto dolosi ac veri adulterii uxoris, inculpatus maritus a vinculo conjugii liberatus sit, ad hunc effectum, ut pro adultero haberi non debeat, si ante solennem absolutionem per sententiam judicis, fortè cum alia consueverit, quamvis postea judicis declarationem impetrare teneatur. Si enim ex Divino elogio ipso jure ab uxore adultera liberatus non esset, tunc nec judicis autoritate liberationem obtinere posset; quos enim Deus adhuc conjunxit, homo non separet.

Th. XVI.

Ex hactenus deductis apparet, quod per adulterium uxoris marito jus illam dimittendi & expellendi acquiratur, quod, an in aliis criminibus ac delictis ab uxore commissis locum habeat, maximè controversum est, præprimis, cum plerique consentiant, quod si maritus ob commissum crimen capitale aufugerit, & ad pristinum suum domicilium reverti non possit, aut ex provincia relegat vel quasi deportatus aut proscriptus sit, uxorem ad conjugii vinculum obstrictam manere *per L. 24. de donat. inter vir. & uxor. Novell. 22. C. 13. & præprimis C. 2. X. de divort.* ut ita, quamdiu de mariti illius morte non constat, sine adulterii vitio alii nubere non possit; Licet hunc non aliter invita sequi teneatur, quam si certior facta sit, quod sine vitæ aut salutis periculo officia mariti uxori debita, utpote honestam alimentationem &c ab eodem expectare possit. Vid. *L. 8. §. 15. C. de Repud.* quam opinionem,

Absentia sive voluntaria sive necessaria mariti, vinculum conjugii non solvit.

Quamvis uxor maritum criminosum non simpliciter teneatur sequi.

nem, solum scilicet delictum mariti ejusque licet necessariam absentiam matrimonium non solvere, ut veriorem, & ego amplector; idque quam maximè ex eo quod uxor tanquam mariti suo caro ac hujus propria, ex nulla causa illum abdicare possit; Nisi malitiosè ab eodem deserta ac simul in sui locum alia ducta plene, vel legitimis præsumtionibus probetur, quod non tantum contingit si ab initio ex odio deseratur, sed etiam, si malitiosè latitet & multo tempore uxori adhærere non procuret, aut denique uxorem innocentem tanquam adulterii ream repudiare tentaverit. Vid. Bruckner. *dec. matrim. C. 16. n. 4.* Non tamen simili modo rem sese habere cum uxore criminosa contendo; Non quidem ut propter quævis delicta uxorum, & inde orta implacabilia odia, Magistratus totale divortium concedere possit, quod statuere videtur Bruckner. *dict. C. 16. §. ult.* sed potius existimo, utrosque in republ. præsentes, aut si constet ubi sponte latitent, justis coërcitionibus unumquemque ad officii sui præstationem redigendum esse; Sed quod si uxor tanquam indignum membrum in Rempubl. venire non audeat, marito liberatio ab illa flagitiosa conjuge haud deneganda sit,

Secus est in Uxore Relegata, tunc enim marito jus divortii competit.

Th. XVII.

Equidem scio, propter adulterium vel manifestum vel ex malitiosa desertione legitimè præsumtum plerosque alias causas divortii permittendi non concessas esse, prætendere, inhærentes Salvatoris elogio *Matth. 5. v 32. & c. 19. v. 15.* Verum si explicationem horum textuum ex fonte repetamus, vulgaris interpretatio dubia admodum reddetur, dum causam divortii, per vocabulum λόγȣ πορνείας â Salvatore concessam, plura quam

formalis adulterii peccata complecti, jam a doctioribus animadversum fuit, vid. Brochmannus *in loco de Conjugio Cap. 4. Qu. 55. circa fin.* Ubi deducit: Vocabulo πορνείας propriè nec adulterium nec fornicationem, sed tantum rationem fornicationis significari, & apud Ebræos omne crimen, quo abalienatio fit ab eo, cui obedientia debetur, denotare testatur Origenes *Homil. 7. in Matth. &* Augustinus *L. 1. de sermone Domini in monte.* Præterea cum Christus, *Matth. 19, v. 32.* legem divinam *Deuter. c. 24. v. 1. 2. 3. & 4.* explicet, λόγος πορνείας aliud nihil quam voces Ebreæ ערות דבר ratio nuditatis significabit, Coccejus *Tom. 6. in summa Theol. Loc. 7. C. 19. § 13.* has vero Gerhardus *in loco de conjugio §. 596.* explicat de quolibet gravi crimine, quod legibus publicis morte punitum non fuit; Et si Salvator noster solum adulterium tanquam causam divortii legitimam determinare voluerit, quomodo Apostolus Paulus aliam malitiosæ nempe desertionis addere potuisset? Potius concedendum, Pauli casum specialem sub generali causa λόγυ πορνείας a Christo posita jam tum comprehendi. Bruckner *decis. matrim. Cap. 16. n. 18.* Hinc ergo ex mente Christi non adulterium tantum desertionemque malitiosam, sed & alia crimina contra fœdus conjugale, quibus innocens maritus ab uxoris nocentis ulteriori cohabitione abalienatur, divortium efficere consequitur. Vid. *Can. V caus. 28. qu. 1.*

Th. XVIII.

Et quidem, si crimen capitali supplicio expiandum sit, cujus executionem criminosa uxor fuga sua impedit, hæc intuitu mariti pro mortua habenda, cum proprio suo scelere effecerit, quod maritus cum ipsa cohabi-

bi-

bitare nequeat Bruckner *d. l. c. 18. n. 17.* Ubi verò ad evitandum carceris cruciatum uxor ex imputato crimine fugam arripuerit, hactenus adhuc pro fugitivæ quali quali excusatione vel ejus defensione præsumendum, qua propter prius legitimo modo per citationes contra illam absentem procedendum erit, donec de malitiosa ejus emansione & contumacia constet; quo ita ex imputata malitiosa desertione marito divortium seu totalis liberatio ab illa denegari non debet, ne uxoris perpetuata contumacia & crimen in viro puniatur, & hic sui stemmatis propagatione & adjutorio invitus carere teneatur. Ast quid de facinorosa uxore præsente pœna capitali quidem afficienda, a Principe vero eidem condonata vita, ad perpetuas operas condemnata dicendum? Respondeo: Et hoc casu conjugem insontem non sine auxilio relinquendum, sed divortio illi succurrendum, cum maritus ob delictum conjugis puniri non debeat.

Th. XIX.

Quod vero ad delicta non capitalia attinet, propter quæ alicujus uxor, exilio punita est, investigandum esse ex stimo utrum talis mulier in loco non suspecto sciente marito degat, & quovis modo ad hunc reverti nitatur, tunc enim maritum modicum vel statuto (uti in Dania triennium) vel per decretum Magistratus determinandum tempus exspectare debere, antequam totalis separatio ipsi concedatur, æquitati & pietati convenit. Confer. Bruckner *d c. 16. n. 2. & 3* Si vero relegata uxor mariti sui gratiam conservare negligat, aut maritus diutius illam exspectare nolit, sed concessum ipsi ustionis remedium petat secundum illud *1. Corinth. VII. v. 2.* lo-

cum esse divortio non dubito; Tametsi enim aquæ & igni interdictio vel deportatio aut similis pœna viris imposita matrimonia intuitu uxorum non solvant *L. 24. C. de donat. inter vir. & uxor.* tamen non eadem ratio in uxore relegata subest, utpote cum mulier propter maritum, non hic propter illam, creata legatur, nec vir uxorem sequi teneatur, uti hæc illum; Nec obstat, *quod in L. 5. §. 1. ff. de bon. damnat.* de uxore deportata simile quid asseri videatur, expressè enim textus agit de marito, qui conjugalem amorem erga proscriptam uxorem retinuit, quo affectu cessante, regulam in contrarium subesse confirmat. Potest enim vir si velit vel sequi uxorem vel ejus postliminium procurare & exspectare, poterit etiam ad id faciendum suaderi, sed nullo jure cogi, siquidem maritos uxores sequi, nulla juris ratione ab illis exigi potest, cum quidem uxores ad domicilium mariti, jure adstringantur, non contra, & sic maritus hoc suo jure utens, & sequelam uxoris recusans nihil injusti facit, ac proinde uxorem sequi jure detrectans pœnam denegandi divortii non rectè luat; Nec etiam à nonnullis hoc casu desiderata uxoris citatio quicquam operabitur, cum hæc, etiamsi neque animum deserendi maritum habeat, neque reditum recusatura sit, ob necessitatem tamen absentiæ, qui ex natura relegationis ipsi comparere non licet, & ex præstita Urpheda illa reverti arctissimè prohibetur, prorsus frustranea futura sit. Nec est, quod per mandatarium comparere possit; nam ad cohabitationem conjugalem corporalis comparitio requiritur, & maritus cum uxore non litigare sed ipsi assuescere intendit.

Th. XX,

Th. XX.

In summa: Christus uxorem sincero amore conjugali penes maritum suum manere volentem sine sufficienti causa expellere prohibet, non tamen sponte maritum deserentem aut publica auctoritate abire jussam conjugali vinculo retinendam jubet, vid. multis doctis allegatis pro more suo hoc illustrantem Bruckner. *dict. c. 16. n. 28. & seqq.* ubi tantum desidero quod in toto illo capite, quæ de dimittenda uxore vera sunt, non satis distinguat ab illicita totali dimissione viri ab uxore prætensa, utpote quæ non solum essentiæ conjugii veri ac perfecti contraria est, sed etiam expressas legum dispositiones evertit, dum enim uxor simpliciter maritum sequi obstricta est, *L. 13. C. de dignit. L. 65. ff. de judic.* quod & in bannito viro locum habere probat *Heig. p. 2. qu. 14. n. 12.* ideo hisce legibus non obtemperans & suæ obligationi repugnans, frustra legum aut magistratus auxilium implorat, & licet facilius concesserim, aliquando rationibus domesticis & cura rei familiaris, aliisque justis ex causis arbitrio judicis dirimendis, virum relegatum sequendi necessitas uxori remitti posse, Heig. *alleg. n. 24.* tamen matrimonium ita non solvi verius est. Vid Schneidewin. *ad Tit. de nupt. p. 4. n. 49.* Richter. *Vol. 2. Cons. 4.8.* multo minus audiendæ sunt mulieres quæ sub specie pietatis maritis ebriosis, rixantibus, execrantibus, vel alio modo impie viventibus officia sua denegant, & separationem quærunt. Potius competentibus remediis utraque pars ad meliorem frugem compellenda, & infelicis thori conjuges ad patientiam illorum, quæ statim corrigi non possunt, piè admonendi sunt.

Th. XXI.

Th. XXI.

Denique notandum, quod, ubi ratione delicti præteriit utraque pars alterius conditionis & facti satis gnara fuit, & post consummationem matrimonii exilii sententia contra uxorem feratur, tunc talem maritum æque ac quamvis uxorem ad conjugis calamitatem perferendam, eamque sequi obstrictum esse, cum semel in talem qualis jam est, consenserit, & sic suo juri tacitè renunciaverit.

Th. XXII

Errant igitur communiter DD. qui æqualem ex societate conjugali utrique conjugi profluentem obligationem adstruere satagunt, quoniam fœderis istius disparitas ex omni ferè parte, tum præprimis ratione potestatis, tum respectu dissolvendi vinculi connubialis, sese abunde exserit. Hæc sunt, B. L. quæ paucis his pagellis de divortendo ob male facta immorigerorum conjugum, festinante calamo & temporis penuria fusius delineare non permittente, conscripta, Tuo benigno patrocinio commendo.

S. D. G.

COROLLARIA.

I. Plena proprietas seu dominium in uxorem competens, est de essentia conjugii, & non peccati pœna.

II. Etiam de impiorum & infidelium matrimonio recte dicitur illos DEUM conjunxisse.

III. Non mas (quamvis sponsalia contraxerit) sed fœmina, ad ineundum & consumandum matrimonium cogi potest.



